DE SPIRITUS SANCTI
ADVENTU
ORATIO
Habita in Sacello Pontificio

CORAM SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

CLEMENTE XI.
PONT. MAX.

IPSO PENTECOSTES DIE

A MARCHIONE FERDINANDO DE ROSSI

FLORENTINO

Seminarii Romani Convictore

ANNO MDCCXVI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



ROMÆ, ex Officina Zenobii Scalptoris SANCTISS. D. N.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

344

Digitized by Google

CLEMENTI XI.
PONTIFICI MAXIMO.

FERDINANDUS DE ROSSI,

FŒLICITATEM.

M*Eritò*, Beatissime Pater, *Tuos in ſinus fidenter advolat mea hæc qualiſcumque Oratio. Nam præterquamquòd* Clementiæ Tuæ *eſt, muneris tenuitate poſthabita, offerentis animum potius æſtimare, illud etiam accedit, quòd cum illa Dei Spiritum Apoſtolorum corda*

mu-

Digitized by Google

mutuo charitatis nexu devincientem, eademque vehementiori ſui Numinis afflatu contra hoſtiles Inferorum conatus accendentem exhibeat, in Te, qui propter Vicariam Dei Dignitatem, qua in Terris præfulges, præcipuo Divini Spiritus regimine duceris, duo hæc maxima ornamenta ad vivum expreſſa reſpiciens, novum propoſiti ſui comperit fundamentum. Quotus enim quiſque eſt, qui ignoret quàm ſolicitè diſcordes Chriſtianorum Principum animos mutua pace conciliare curaveris, quamque ardenti ſtudio, ubi primùm Turcici Imperii Luna funeſtas nobis cœpit minari clades, eoſdem ad bellum contra communem hoſtem communi ope gerendum excitaris? Perge jam forti animo, totius Orbis Chiſtiani obſecundantibus votis: & quemadmodum prioribus tuis ſtudiis tandiù deſiderata Pax fœlici reſpondit eventu; ita futurum confido, ut vehementi illo favente Divino Spiritu, quo Auſpice acriter cœpiſti, &
Pſ.47. *Adjuvante fœliciter proſequeris, Naves Tharſis, quibus omnes Divini Nominis hoſtes comprehenſos interpretamur, penitùs conteras, atque profliges.*

Digitized by Google

ORATIO.

QUOD DIVINUS ille SPIRI- 2. Reg. 19.
TUS, BEATISSIME PATER, qui olim in ſibilo auræ tenuis coram Elia pertranſiit, hodiè tam à ſemetipſo, ut ità dicam, diverſus, facto repentè Act. 2.
de Cœlo ingenti ſonitu, vehementi cum commotione, ceù bella, cladeſque ſpirans, terras repleturus deſcenderit, eâ profecto de causâ factum opinor, quia Mortales promiſſam ſibi aliàs ab eodem tranquillitatem, non aliter, quàm inter hujus diei fulgura, tempeſtateſque erant percepturi: ita ut quam ille tenuis auræ ſibilus pacem portendebat, hanc factus hodiè de Cœlo ſonus, vehemenſq; Spiritus adveniens non everterit, ſed firmarit.

Pacem naſcenti Eccleſię perneceſſariam fuiſſe, illud certè ſatis oſtendit, quòd eam Divinus humani Generis Reparator jam penè moriturus impenſiſſimè ſuis commendavit, eam illis attulit redivivus, eam in Cœlum reverſurus, tanquam amoris ſui pignus, reliquit. Nec immeritò. Cum enim concordiâ, ut ille ait, res etiam parvæ creſcant, quid non

ſibi-

Digitized by Google

ſibi promitteret concordiâ munitus puſillus ille Grex, quem Divinus Paſtor, quamqnam in medio luporum conſtitutum, exhibito tamen gratiæ ſuæ præſidio, in Cœleſtis Regni ſpem educebat? Nolim tamen, eam vos Pacem inter & bellum implacabilem diſcordiam eſſe credatis, ut non altera alterius ope quandoque indigeat. Profectò bellum Pacis causâ parari ſapientiſſimè pronuntiatum ſcimus. Quì enim diuturnam ille ſibi Pacem polliceatur, qui non eos hoſtes, quibus cum Pax eſſe nequit, bello ſubegerit, atque protriverit? Quæ proindè domeſticas ærumnas avertebat à Dominico Grege mutua concordia, non eadem etiam ſatis illum ab externis Luporum incurſibus tueretur, ſi animi ad eos acriter propulſandos deeſſent. Nec ſanè quàm tantopere inter ſe Apoſtoli fovebant Pacem, hanc illis Tartara etiam erant ſervatura.

Pervaſit itaque vehementiori afflatu illorum corda Dei Spiritus, ex iiſque in Poſteros transfuſus torpentes Chriſti Militum animos, novis auctos viribus excitavit ad bellum: Bellum, inquam, quod non intra anguſtos Paleſtinæ fines conſtitit: Divino enim hoc Spiritu vela implente Navis Petri, quæ

Opti-

Digitized by Google

Optimi Gubernatoris auſpiciis freta, validiſſimâ Militum, remigumque manu munita, omniq; armamentorum genere aptiſſimè inſtructa, venti tantummodò impulſum deſiderabat, ſoluit è Portu. Quàm proſpero rerum exitu, temporis quidem anguſtiæ referre me prohibent; Vos tamen optimè noſtis: cum nulla ſit ora maritima tam deſerta, nulla Inſula tam remota, nullus tam abditus ſinus, quem non illa fœliciſſimo curſu perluſtraverit. Ad ejus adventum, quòcumque appelleret, vidimus protinùs bacchantem toto penè Terrarum Orbe Tenebrarum Principem foras ejectum, inania ſimulacra comminuta, prophanos Tripodas everſos, Idolorum Templa meliores in uſus ſacrata. Deſeruit poſſeſſas diù ſedes fugitiva ſuperſtitio, ſeſeque apud Antipodas recipiens, inter ignoti Orbis latebras occultari ſperavit. Sed eò quoque Navis hæc Divino favente Spiritu perducta eſt: Herculeiſque finibus longè poſt ſe relictis, non aliis iter ſuum, quàm ultimis ipſius Orbis limitibus circumſcripſit: ſi tamen his limitibus circumſcribi dicenda eſt, quæ Vectores ſuos evehit ad Cœlum. Quodque ſummam itineris fœlicitatem complet, quanquam ſæpiſſimè ad ſco-

pu-

Digitized by Google

pulos alliſa, procellis vexata, Piratarum incurſibus exagitata; nullâ tamen unquam vel tenuiſſimâ rimâ diviſa eſt. Frequenter quidem totis eam aggreſſus eſt viribus Tartareus Veterator, quæque ejus protervitas eſt, à nefariis auſibus nunquam eſt ceſſaturus; verùm non modò nihil profecit, aut proficiet unquam, ſed in ſe, ſuumque caput, ſuas artes, ſua tela ſenſit ſemper, ſemperque ſentiet retorta.

Sic Chriſti Eccleſia domeſticam membrorum ſuorum Pacem ſervans, vires contra hoſtes habuit, eoſque implacabili perſequens bello, præcipuum, quod bellando quæritur, emolumentum, retulit Pacis firmitatem. Quo manifeſtum fit Uno, eodemque Pacifico DEI SPIRITU illam indeſinenter agi, ſive is in ſibilo tenuis auræ internam illius foveat Pacem, ſive vehementi Afflatu ignem illum, *Luc. 12.* quem Dei Filius fœliciter è Cœlo delatum Terris applicuit, accendens animos acuat ad bellum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google